




Q. D. B. V.
DISPV TATIO MEDICA INAVGV RALIS,
DE

CHOREA S. VITI.



Q V A M,
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS
MEDICAE,
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,
SVB PRAESIDIO


DN. GEORG. CHRISTOPH.
DETHARDINGII,

SERENISS. DVC. MEGAPOL. CONSILIAR. AVLIC.
COLLEG. PROFESS. DV CAL. ET FACVLT.
MED. SENIORIS,

PRO GRADV DOCTORIS,
RITE OBTINENDO,

DIE IX. SEPTEMBRIS A. MDCCLX.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT.

AVTOR ET RESPONDENS,
GERHARDVS HENNINGIVS
STIELER,
HAMBVRGENSIS.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.



DISPUTATIO MEDICINA GVLIELM.

CHOREA S. VITAE

CONSENSU GRATISSIMO FACULTATIS

IN ACADEMIA POSTUCHENSIS

DN. GEORG. CH. TITUB. M.D.

COLLEG. PROF. MED. S. VITAE

PI. GRADU DOCTORIS

TABULAE REGULAE EXAMINIS

OL. R. H. A. R. T. S. H. N. I. N. C. I. S.

PERILLVSTRI ac MAGNIFICO

S. R. G. I. LIBERAE CIVITATIS HAM-
BURGENSIS

SENATI,

VIRIS MAGNIFICIS

AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

GRAVISSIMIS, SPECTATISSIMIS,

PATRIAE PATRIBVS

OPTIMIS,

MAECENATIBVS ET PATRONIS

AETERNO HONORIS CVLTV PROSEQVENDIS

HOC

QVALECVNQVE STVDIORVM ACADEMICORVM
SPECIMEN,

EA, QVA PAR EST, ANIMI DEVOTIONE


D. D. D.

GERHARDVS HENNINGIVS STIELER,

PER LLVSTRISSIMO MAGNIFICENTISSIMO
S. R. C. LIBERAE CIVITATIS HAN-
NOVERAE
S. E. N. A. T. V. I.
VIRIS MAGNIFICENTISSIMO
AMPLISSIMO, CONSULISSIMO
GRAVISSIMO SECTARISSIMO
PATRIAE PATRIBUS
OPTIMIS
MAGNIFICENTISSIMO ET PATRONIS
AETerno Honoris Cuius PROSPERANDI

CVLTISSIMO SEV...
S. P. C. M. E. N. T.
LA QVA PAR...
G. H. A. R. D. V. S. H. E. N. N. I. N. G. I. V. S. S. T. I. E. R.





PROOEMIUM.




Disputationem inauguralem conscripturo Dn.
PRÆSES, fautor atque praeceptor meus maxi-
me venerandus, suasor fuit, morbi, Chorea St.
Viti dicti enodatus paullo delineandi, quam huc usque in
monumentis medicis, quantum mihi notum, deprehendi-
tur. Jam olim sibi hunc sumsit pertractandum *Geo. Wolfg.*
WEDELIVS, in peculiari disputatione de *Chorea St. Viti*,
Jenae 1682. habita, observavi autem sub ejusdem per-
lectione, Authorem celeberrimum, in infana, et infatiabili
saltandi libidine hanc morbosam constitutionem unice
collocasse, et sic dictum Tarantismum primario huc re-
tulisse;

tulisse; quae tamen à neotericis medicis in latiori significatione adsumitur, ita, ut peculiare artuum motus involuntarii, et plane singulares, ab ordinariis convulsionibus facile distinguendi hac adpellatione comprehendantur. Casus huc spectantes a Dn. PRAESIDE in praxi sua clinica observatos, mihi benevole, cum medendi methodo communicatos, cum istis combinavi, quos ex scriptis medicorum hinc inde collegi, et quorum ipse passim testis fui oculatus, ita ut fortassis perspicua magis, et dilucida hujus non ita frequentis, fontici tamen adfectus exurgere possit historia. Quod propositum, ut divina gratia prospero successu beet, est, quod in ostio hujus tractationis humilime precor.



TRA-



TRACTATIO.

§. I.



Vndenam Choreia St. Viti nomen hoc obtinuerit, non est quod commemorem, facile etenim liquet, superstitionem fuisse ejus genitricem, quando creditum, Sanctum quendam, **VITVM** dictum, hoc malum teterrimis religionis violatoribus imprecatum fuisse, sed et ad frugem se recipientibus, eundemque invocantibus iterum adimere potuisse *). Relatum namque legimus **) mulieres quasdam, circa festum Sancti Viti, sacellum ei consecratum visitasse, ibidemque saltu cum perturbatione mentis, eo usque sese nocte, dieque exercuisse, donec ecstaticorum instar corruerint, eoque ipso a tenfivis omnium artuum doloribus, lassitudine spontanea, capitisque



que perturbatione, quam, plurimis septimanis ante adcessum suum ad consuetum saltationis locum fuerant expertae, se liberaverint.

*) vid. Disput. WEDELIJ citat. Cap. I. p. 4. Fabellam itidem huc pertinentem deprehendimus in *Casp. a REIES Elysis Quaest. jucund. Camp. Qu. XCVII. p. 1214.* de sedecim viris et tribus feminis choream in coemiterio quodam ducentibus, ita ut officia sacra impeditent, quibus sacerdos exinde incitatus, cum effectu imprecatus fuit, ut ad annum in choreis ducendis persisterent; et memini me alibi legisse, hoc saltatores in gyrum se agitantes, terram assidue calcando, fossulam rotundam haud exiguam efformasse, imo quandam ex adstantibus saltatorum, unum vi e gyro eripere volentem, brachium ejusdem avulsiisse, qui non obstante hac mutilatione, choream continuaverit, donec elapso anni spatio, omnes examines conciderint.

**) in *Gregor. HORSTII Epist. medicinal. observ. adnexis Sect. III. p. 374. et 375.* Si Auctori huic fide ceteroquin digno credendum, vero simile videtur, succussationibus istiusmodi, quantumvis modum excedentibus aegritudines hasce debellari potuisse, qualia exempla in praxi medica haud ita rara deprehenduntur; sed et fortassis mulierculae hae saltatrices alia ex ratione, quam sanitatis recuperandae gratia, facellum hocce adierunt.



§. II.

In definiendo hoc morbo, medicos passim dissentientes offendimus. SENNERTVS eundem in perpetuo et infano quodam saltandi desiderio collocat *) BIERLINGIVS hunc refert ad melancholiam errabundam **) PARACELSVS choream talem in lascivam et iratam sive aestimatoriam distinguit ***) WEDELIVS l. c. cum Tarantismo confundit, cui JUNCKERVS subscribit ****) BLANCARDVS in Lexic. Med. eundem nuncupat speciem insaniae, hominibus non decumbentibus, sed discurrentibus et saltantibus, ac choreas ad extremum usque spiritum, nisi per vim inde abstracti fuerint, ducentibus, et sic porro. Ex quibus elucescit, in saltationibus praesertim, et tripudiis infanis collocatam fuisse indolem hujus adfectus specificam.

*) in *Prax. L. VI. P. II. C. V. p. m. 81.* Quorsum referenda femina Basileensis, cui, quod ab assiduis saltationibus continere se non posset, magistratus viros aliquot robustos constituit, qui alternatim, uno fesso, altero succedente, cum ea, dies et noctes tripudiarent, quod fere mensis spatio, spectantibus multis duravit, sine fere intermissione, ac si soleatum pedum ejus cutis attrita esset: et licet aliquando, ut cibum caperet, et somno correpta sedere cogeretur,

B

tamen



tamen gestu, motuque corporis inquieto nihilo minus, corpus veluti saltans agitavit, donec omnino viribus prostratis, adeo, ut nec stare amplius posset, a saltu cessare coacta, in hospitale deducta est, ubi resecta, sensim denuo convaluit. Vid. *Felic. PIATERI observat. L. I. p. m. 85.* Quod si historia haec ad liquidum perducenda, Erotomania hanc feminam laborasse maxime videtur verosimile. Si etenim solus saltandi orgasmus eandem inflammasset, vel sola, vel cum aliis sui sexus hunc cordacismum continuare potuisset, nec viros valentes in consortium tripudiorum trahere debuisset.

***) in *Adversar. Cur.* p. 213.

****) *Tract. de morb. ament. Tract. II. §. 9.*

****) in *Consp. medic. Theor. pract. Tab. CIV. p. 941.*

§. III.

Quantumvis exacerbarum talem saltandi imperum à chorea St. Viri sejungere haud velim, modo nihil simulati adfuerit *), nihilo tamen secius ex mente neotericorum medicorum multiformia adhuc symptomata extraordinaria, corpus, et ejus artus, mirandum in modum convellentia, in latiori significatione ad hunc morbum referuntur, licet proprie saltationi analogum nil, vel parum exserant. Provoco imprimis ad incomparabilem



bilem morborum-ruspatores SYDENHAMVM, utpote qui **) choream St. Viti appellat: „Speciem convulsionis, quae pueros, puellasque à decimo aetatis anno ad pubertatem invadit, »et primo claudicatione vel instabilitate alterius cruris se prodit, quod aeger post se trahit fatuorum more, manum ejusdem lateris vel pectori, vel alii alicui parti applicitam nequit »continere in eodem situ, horae momento, sed in alium situm »et locum convulsione distorquetur, quicquid aeger contrahitur. Antequam poculum ad os possit adducere, mille »gesticulationes, circulatorum instar exhibebit. Non enim »recta linea ori admovet, sed deducta à spasmo manu, huc illuc aliquando versat, donec tandem forte fortuna labris »proprius apponens, liquorem derepente in os injicit, et avidè haurit, dedita tanquam opera, ut spectatoribus risum »moveret. »

*) „D. Georg. HANNEYS in *Eph. N. C. Dec. III. Anni V. VI. obs. 237. ex*

„PARACELS, *Tract. I. de Morb. ament. Cap. 3. refert*: Trofseam, mulierem perversam et infrunitam, hunc morbum dolo finxisse, ut »maritum suum, chorearum hostem, eo fortius exagitaret, finxit »se, quoties vescebatur, inaudito quodam morbi genere affligi, »quo correpta, non poterat non ad summam usque lassitudinem »saltare. Texit hanc perversitatem suam astu vaserrimo inepta mulier,



morbum praetendens, donec; eosdem clanculum edoctae mores,
 „confimilem mimum agerent saltatriculae plures, maritos impor-
 „tunitatis suae maceraturae aeto.,,

**) in Oper. med. p. 517 et 663.

S. IV.

Ex consensu proinde medicorum hodiernorum choreae
 St. Viti nomine insigniuntur motus vigilantium involuntarii
 spastico-convulsivi, aliquando totum corpus, plerumque
 ramen artus, extraordinaria et multiplici ratione, per intervalla
 exercentes, quibus durantibus, rationis usus ut plurimum suf-
 flaminatur, nonnunquam liber atque incolumis persistit.

§. V.

Quibus suppositis, facile erit, differentiam hujus aegri-
 tudinis à consimilibus visis indigitare. Quod enim spasmos
 in se spectatos concernit, sub his observatur rigiditas et
 immobilitas fibrarum muscularium, cum econtra sub chorea
 St. Viti brevem subinde rigiditatem excipiant motus reciproci
 et errabundi. Nec cum solis convulsionibus exacte conveniunt,
 quandoquidem convulsionibus tantum non semper dubium et
 periculosum eventum denunciant, cum econtra chorea St. Viti
 periculo ut plurimum careat, modo perversa diaeta, et in-
 congrua



congrua medicatio abfuerit; adcedit, quod convulfiones non tot impetuoſis et Proteiformibus inſultibus ſint ſtipatae, quales ſub Chorea St. Viti deprehenduntur. Interim ex ſupra allatis jam conſtat, eandem ex binis his, ut ira dicam, naturae reactionibus quaſi eſſe conſtaram. Quomodo ab epilepſia differat, quivis facile obſervabit; qui motus epilepticos cum his, qui Choream St. Viti ſtipare conſueverunt, comparaverit, ſola namque inſenſibilitas epilepticis familiaris diſcrimen tale offert, quando Chorea St. Viti correpti, durante paroxyſmo, ſenſibus non plane deſtituuntur. Ut maniacos, hydrophobos, noctambulos, ebriofos, philtratos etc. tanquam manifeſtè differentia individua brevitatis ergo ſilentio praeteream.

§. VI.

Non poſſum, quin data hac occasione, *Tarantismi, et Morbi cuiusdam ſpasmoidici popularis*, tanquam aegritudinum Chorea St. Viti affinium mentionem injiciam. Quod Tarantismus concernit, provoco imprimis ad celebr. BAGLIVVM, tanquam reſtem ejus oculatum, qui *) exquisitam hujus mali reliquit hiftoriam. Sufficiat ſaltem commemoraffe, à morſu tarantularum in Apulia reperibilem laeſos, communicatum virus, acerbata ſymptomata excitans, nullo fere remedio, niſi muſica indoli



specificae veneni adcommodata, ex corporis pomœriis proscribere posse, quando hoc stimulo ducti Tarantati, vehementissime saltare incipiunt, et tripudia tamdiu continuant, donec sudore diffluant. Quod si non penitus haec hostilis materia fuerit evacuata, choreas repetunt, donec silentibus perpessis symptomatibus, cum sanitate in gratiam redierint. **)

*) Vid. ejus Dissertat. de *Anatome, morsu et effectibus Tarantulae*, operibus ipsius omnibus infert.

**) *Alb. SEBA in Thesauvo rerum naturalium p. 110. effectus à morsu Tarantulae ortos negat, dicens: Nobis haec omnia haud adeo verae morsus Tarantulae sequelae esse videntur, quam quidem dolosa vasa-menta, comparandi nummos ergo inventa, quum homines ejusmodi, data tantum pecunia, conspiciendi proponantur, credant ergo qui volunt, nos saltem nunquam percepimus, ab bisce, vel aliis araneis majoribus homines laesos esse; quin potius fugiunt eos et averfantur. Confer. Commerc. Litterar. Norimbergens. Ann. XXXV. Hebd. III. p. 23. Litem hanc componere nequeo, experientia propria destitutus, interim tamen auctoritas BAGLIVII, tanquam magni nominis medici, fidem derogare omnem minime volo, quippe qui ipsemet l. c. cap. X. p. m. 675. refert. Cytharoados mulierem ad quoscumque sonorum concentus veloces, aut tardos, et similes alios statim, et indiscriminatim saltantem, dicere solere non esse revera Tarantatam, uti postea experientia certum comperitur.*

§. VII.



S. VII.

Morbus iste spasmodicus popularis, quem Germani *die Kriebel-Krankheit*, alii *die Kornstaupe*, *Krampf-Sucht etc.* nuncupare solent, in Silesia, Saxonia, Lusatia, imo et Helvetia ab anno 1716. ortum cepit, et ut plurimum ex improvise, diris insultibus spasmodico convulsivis se manifestavit, quando his correpti nunc emprosthotono et opisthotono contorquebantur, nunc in gyrum rotati, nunc quaquaversum ex uno loco in alium, insigni cum inquietudine discurrere tenebantur, ut reliqua symptomata ad scopum praesentem non pertinentia, non adducam *). Causam hujus aegritudinis, medici passim in esu clavorum fecalinorum farraceo pollini intermixtorum, passim lolio temulento, passim assumptioni inconvenientium, sub rei frumentariae inopia collocarunt, alii e contra vicissitudinibus aëris sanitati admodum nocivis adtribuerunt. Quod autem recensitus morbus à Chorea St. Viti distinguendus, vel ex eo elucescit, quod hic ad morbos sporadicos, ille autem ad epidemios pertineat. Variant itidem ratione causarum, symptomatum aliorum concomitantium, eventus, et methodi medendi, ut non nisi solis artuum striculis cum invicem conveniant.

*) Conf.



*) Conf. D. *Abrah. VATERI* *Disput. de morbo spasmod. populari*, Vit. ann. 1723. habit. item *Breslauische Geschichte* ann. 1717. Class. IV. Art. XI. p. 87. in quibus plures Auctores huc pertinentes allegantur.

§. VIII.

Ordo nunc jubet, ut Historiam Choreae St. Viti medicam exponam. Dissimulare tamen nequeo, hanc multi laboris futuram, si quando omnibus numeris absolutam depingere vellem. Differunt siquidem symptomata, ratione individuum, horundemque majoris vivacitatis, ratione causarum, imo et diaetae, ita ut deprehendantur passim vehementiora, nunc diutius et saepius insultent, nunc brevioris ambitus sint, nunc longiori temporis intervallo recrudescent. Tam multifaria itidem et ab invicem discrepantia ad spectui sese exhibent, ut fere dixerim, tot esse species paroxysmorum, quot personae his correptae, nullumque cum motibus alterius aegroti exacte convenire.

§. IX.

Inter rariora Symptomata purae saltationes atque tripudia collocanda, qualia e. g. observavit *LIMPRECHT* in puella, quae praevio cachinno, sedile suum relinquendo, pedes ad saltandum composuit, et à parentibus nullis praecibus, nec minis
a cho-



a chorea tali, indefesso pede per aliquot horas continuata, interrupti potuit, donec somnus infecutus profundissimus hos motus interceperit *), ut plurimum aliae gesticulationes has saltationes antecedunt, vel interpellant, vel insèqui solent. Juvabit illustrationi ergo casum huc pertinentem, à Domino Praefide observatum, mihi benevole communicatum subjungere: Virgo nobilis, vividae admodum indolis, et alacris ingenii, circa annum aetatis circiter duodecimum, improvise gravi terrore percussa, mox lassitudinem-artuum experitur cum sensu fornicationis conjunctam. Spatio viginti quatuor horarum, motus membrorum tremuli per vices insultantes, et convulsi quid prae se ferentes succedunt, quibus durantibus, mens sui adhuc compos existerat. Ingravescens autem per vices eisdem, à mente plane deserta in lecto se erigens, quaque versum circumspiciendo surgebat, et digitorum percussionibus, extensis brachiis exsiliabat in altum, adeo, ut ab adstantibus excipi debuerit, ne prolaberetur, vel allidendo ad objecta duriora, damnum aliquod caperet. Sub his saltibus colaphos ministrantibus ancillis infrungebat, mitras avellebat, et acus in oculos incidentes detrahens ori indere moliebatur. Ludebatur haec scena per horae quadrantem, cum mutabatur



in projectione culcitrarum, aliarumque rerum, quas manibus forsan contingere poterat, usque dum ab his gesticulationibus delassata, oclusis oculis, semisomna in strata se abiciens, paululum requiescebat, et expergescens pristinam recuperabat animi alacritatem, tantummodo ad ambulandum, ex pedum dolore et lassitudine inepta; praeteritarum actionum plane non erat conscia, sed de hisce interrogata referebat, se subinde gravia, sed irrecordabilia somniasse infomnia. Paroxysmi hinc de die, matutino namque tempore, circa meridiem, et die in vesperam declinante recrudescere, tota nocte silentes, ut aegra imperturbatum somnum capere potuerit. Et quod imprimis notatu dignum, sub decenti regimine et adhibitis remediis convenientibus, numerus et vehementia paroxysmorum sensim imminuebatur quidem, sed restitabat horum loco morositas animi, inappetentia, et specificus dolor artuum gravativus, quae, exantlato novo insultu saltatorio-gesticulatorio, iterum evanescebant. Per semestrem fere spatium conflictabatur aegra cum hac valetudine, recensitum ordinem actionum raro vel parum mutante, donec pedetentim elevata morbi saevitia, cum perfecta sanitate in gratiam rediret.

*) in *Eph. A. N. C. Dec. III. Obs. CXXVIII. p. 188.*



§. X.

In aliis haec aegritudo manus et pedes nunc simul, nunc alternatim tangere solet, hos sursum, deorsum, ultro citroque, et mira nonnunquam celeritate movendo, quos motus reciprocantes, licet velint, inhibere tamen nequaquam possunt hisce vexati. Quae gesticulationes modo diutius durant, modo brevi evanescent, temporis quodam intervallo recurrentes. Illustrationis gratia licebit historiam à Dn. Praefide mihi itidem communicatam adducere. Virgo quindecim propemodum annorum, menses nondum experta, ceterum robusta, temperamenti sanguineo cholericici, absque causa manifesta, circa vesperam, praeviis tensivis, ut ut levioribus in pedibus molestiis, hos, praeter voluntatem, in sella sedens fortiter ducebat, eum fere in modum, quo infantes immorigeri et male educati pravam animi contentionem detegere solent; à matre exinde admodum perterrita si detinebantur, tremebundum continuabant motum aegrotae fatis sensibilem, ita ut desistendum ab hoc auxilii genere fuerit. Semi hora elapsa conticescebat hic paroxysmus, aegra cibum adpetebat, et nox subsecuta placide transigebatur. A primo mane evigilans, gesticulationes in brachiis experiebatur involuntarias, quas, ut moderaret, manus fortiter complicabat, verum his junctis lodicem fortiter



fatis, sine intermissione pulsabat, haud ab simili modo, quem TVLPIVS in muliere quadam observavit, et malleationis nomine insignivit *). His durantibus, facies multo rubore suffundebatur, spiritus ducebatur anhelosus, elapso circiter horae quadrante, momento citius pedes convellebantur, artubus superioribus quiescentibus; hique motus alternantes tandem, suspirio ex intimo ventre tracto, cessabant. Exactis octo diebus, comparebat iterum hic paroxysmus, sed tempore matutino, nullum postmodum typum observans, tantummodo circa novi-lunium fortius insultare videbatur. Sub cuius succussionibus phantasia deprehendebatur corrupta, et confusis atque perturbatis verbis, praesertim vetula quaedam effascinationis accusabatur, quod sponsum ipsi oblatum recusaverit, ut parum absuerit, quin Parentes eandem hac de re in iudicium vocaverint. Medica tandem manu auxiliatrice, mitigabantur non tantum hi tumultus extraordinarii, sed et, excitatis postmodum catameniis, funditus obliterabantur.

*) In *Observat. Med.* Lib. I. C. XVII. p. 36.

§. XI.

Sunt, qui sub morbi exacerbatione risum vel fletum continere nequeunt, alii vultum diversimode fingunt, in vocem
erum-



erumpunt absonam, et saepe nonnullis animalibus brutis analogam, è lecto proficientes gressus efformant jocularios et saltatorios, manibus pedibusque incedunt, ranarum ad instar saltuatim currunt, capiti manibusque insistendo, corpus retro praecipitare satagunt. Nonnunquam pariter, quinimo caminum adscendisse videntur, nullis licet fulcimentis adjuti *). Vt plures harum gesticulationum ad Choream St. Viti referendarum variationes non commemorem, quippe quas sigillatim recensere, impossibile fere videretur.

*) Conf. Select. Med. Francof. Tom. I. p. 113.

§. XII.

Choreae St. Viti obnoxios supra laudatus SYDENHAMVS pueros à decimo aetatis anno ad pubertatem usque saltem constituit; sed docuit experientia, juniores adhuc à sexto circiter aetatis anno, quinimo adultos ab eadem immunes non fuisse; licet ultimi inter casus rariores pertineant *), ut de Tarantatis jam supra adductis nihil dicam. Segniora et phlegmaticae constitutionis individua hoc morbi genere perraro corripiuntur, sed quae vividae indolis, animi sensibilibioris, et singulari ingenio praedita sunt. Nec improbabile videretur,



haereditarii quid hic nonnunquam subesse posse, quando Parentes in juventute motibus spasticis vel convulsivis fuerunt investati.

*) D. HANNAEVS in *Epb. A. N. C. Ann. V. VI. obs. 237. p. 556.* meminit feminae, quae cum binis maritis in conjugio sterili vixerat, in tertio thoro gravidæ, Chorea St. Viti correptæ, hujusque symptomatum enodatam recensionem sub forma diarii subjungit. Et nota est Dn. Praefidi illustrissima Persona viginti circiter annorum, quæ itidem cum hoc morbo, vehementiori gradu, diu habuit conflictandum.

§. XIII.

Quam acerbe hic morbus aegrotos infestet, hoc tamen singulare dicendum, quod noctu eisdem parcere soleat. Noctem enim perpetem ut plurimum quiescunt, et sopore placant artus languidos. Quod si insomnia, et inquietudo aliqualis quietem moretur, hoc causæ cuidam procatarticae tantum non semper tribuendum. Durantibus paroxysmis à mente plerumque videntur esse deserti, interdum et usus loquelæ deficit, sub leviori gradu artus excercente, rationis quidem compotes existunt, intercurfantibus tamen sæpe ideis confusis. Ut plurimum adpetitus extra Paroxysmum satis solet esse vegetus,

ut



ut famis impatientissimi subinde deprehendantur. An cum phasibus Lunae conspirent, non adeo evictum, quantum ex collatione horum aegrotorum hariolari licet, haud peculiarem esse lunae, in moderandis vel limitandis hisce paroxysmis influxum, admodum videtur credibile. Fuere, qui crescente luna hos sustinuerunt insultus, quos alii, eadem fenesciente, fuere experti. Qui nonnullorum dierum vel septimanarum imo mensis intervallo eisdem excruciantur, aliqualem quoad lunae apparitiones mutationem, expertos fuisse constat *).

*) PAVLINI in *Append. Eph. N. C. Dec. II, A. IV. et V. p. IO.* meminit puellae rusticae octo annorum, quolibet novilunio per integrum fere diem indefinenter saltantis.

§. XIV.

Pedem promoveo ad remotas, sive occasionales causas Choreae St. Viti. Aetatibus praeteritis nimis quam familiare fuisse observamus, res extraordinarias, quae animo concipi haud ita facile potuerunt, sine circumspccto examine, et per-vestigatione omnium circumstantiarum, ex praeconceptra opinione effascinationibus et incantamentis adtribuere, hinc non mirandum, et hujus aegritudinis ortum ab artificiiis magicis derivatum fuisse *).

*) Casum



*) Casum huc pertinentem deprehendere licet in *Casp. à REIES Camp. Elyf Jacund. Quaest. p. 1210.* de Puella, juveni cuidam à Parentibus desponsata, quae ad ejus primum adspèctum veluti coeca, et luminibus privata mansit, ita ut claris adaperisque oculis se nil cernere diceret, transactis tribus, quatuorve diebus, cum secundo praedictus sponsus ad illam invisendam iterum accederet, muta et surda derelicta fuit, ut nihil audire aut loqui valeret. Tandem sequenti die, cum tertio ad puellam videndam idem adolescens ingrederetur, praeter dicta omnia, hoc quoque additum, ut indefinenter in horrendam brachiorum motionem devenerit, in qua quatuordecim diebus permanebat, nullo modo quiescens, nisi somni tempore, quem parcum satis capiebat, et expergefata ad motum illum inordinatum brachiorum statim redibat; qua propter Judex de istis certior factus, juvenem in carceribus detinebat. Tandem Parentes aegrotam ad quasdam sagas, ex aliorum consilio, adduxerunt, quarum remediis, post triduum filiam sanam, et à praedictis omnibus accidentibus liberam in domum reportarunt; nam quibusdam suffurratis diabolicis verbis et ceremoniis aliis, quod se audivisse refert *Autor*, vomitus secutus est rerum admodum foetidarum, cum pilis, stupis, et duobus recurvis clavis, aliisque incognitis materiis, à quibus immunis quievit statim, auditum, visum, ac vocem recuperavit. Ast quivis non praeoccupatus facile observabit, per fraudem et malitiam haec omnia contigisse, et solam superstitionis plebem cacodaemonis concursum credidisse. Quale exemplum parallelum legitimus in *Job. Christ. FRITSCHII seltzamen Geschichten Histor. II. p. 104. seq.*



§. XV.

Missa hac aetiologia superstitiosa, inter primarias et maxime familiares causas, praesentia vermium adcusanda. Quod enim Medici clinici uno ore confitentur, sub quibuscunque fere infantum morbis, vermium rationem habendam esse, id imprimis in censum venit, quando juniores hoc morbo correptos deprehendimus, addephagia siquidem istis familiaris horum sanitati infensissimorum hostium fertilissima est genitrix, qui vellicando parietes primarum viarum satis sensibiles, insuper in putredinem cadaverosam admodum proclives *), generi nervoso vim inferunt irritantem, et spastico-convulsivos motus levi negotio excitare, quinimo mirificos, animum et corpus afficientes motus producere aptam, de quibus in monumentis Medicorum copiosissimae deprehenduntur observationes **).

*) Testis hujus putredinis ut plurimum est intolerabilis foetor excrementorum, quae nunc durante adhuc paroxysmo, nunc eodem cessante, per saepe ab aegrotis excluduntur.

**) de vermibus *Choreae St. Viti* Autoribus consuli possunt *Select. Med. Francof. Tom. I. Obs. III. p. IIO.* PAVLLINI *Nesol. animar. Synops. M. N. C. Dec. II. A. VII. p. III. subnex. Ann. IV. et V. in Append. p. IO.*

D

§. XVI.



§. XVI.

Dentitionem difficilem, sanguinem ad caput et cerebrum cogentem, dolores immanes dentium prodeuntium excitando, motus convulsivos inducere, et in dispositis choream hanc suscitare posse, experientia docuit *), inter casus tamen rariores collocanda.

Ex communicatione itidem Dn. Praesidis huc referendus Puer septennis, caninis dentibus superioribus nondum instructus, renascentibus infimal dentibus deciduis, sub alvo obstipata, convulsionibus patiebatur alias suetas, cum obtutu nunc fixo, nunc oculis errantibus, et distorsione oris combinatas. Ab adplicato Enemate et in usum vocatis temperantibus, mitigabantur quidem hi tumultus, sed non penitus silebant, quin passim tendinum subsultus, sub contractione manus pulsam explorantis perceptibiles, resisterent. Matrone intempetive officiosa obtrudebat remedium quoddam antiepilepticum arcanum volatile, quibus omnes consopiti morus dentium excitabantur, intercurstantibus emprothotono, et opisthotono. Ex strangulatione faucium et laesa deglutitione, quicquid liquidi offerebatur, ex ore iterum profluebat, donec per guttur inferius injecto enemate, spasmi hi universales mutabantur in sic dictam pedum malleationem, alternis vicibus ad vesperam usque continuantem; insequente nocte somnus occupabat aegrotum non adeo inquietus. Simulac autem expergiscebatur, actiones pedum malleantes



antes pensabant haec haecyonia, quas brachiorum et capitis motus post dimidium horae spatium excipiebat, venae colli et capitis sanguine turgescerent admodum, tandem multus è naribus protrusus cruor, omnibus his molestiis finem adferebat exoptatum. Choream St. Viti à dentitione difficili habent quoque. *E. N. C. Dec. II. Anno IV. Obs. XXIII. p. 70. item Huld, PELARGVS in obs. Clin. Anno 1723. Mens. Decemb. p. 854.*

§. XVII.

Quod negotium mensium ansam Choreae St. Viti subministrare possit, exemplo supra allato corroboratur; neminem enim Clinicorum fugit, quantas turbas haec sanguinis excretio in oeconomia animali concitare valeat, sicubi vel fuerit sufflamina, vel secundum ordinem naturae comparere recusaverit. Praesertim haec aegritudo cadit in juniores catamenia nondum expertas, et tales, quae speculationibus perulantibus, et venereis nimium indulgent, vel quorum spes sponso nubendi decollavit, vel vera Erotomania laborant, quale exemplum supra allatum. Absit, ut omnes juvenulas his insultibus correptas cogitationum lascivarum infimulare velim; in pudicissimas namque cadere possunt haec phaenomena praeternaturalia, sensibili genere nervoso instructas, et



in quibus sanguis vel qualitate vel quantitate peccans, ultra modum ad caput congeritur.

§. XVIII.

Animi adfectus graviores, quatenus sanguinem commovent, fibras, praesertim nerveas actuant, et humoribus dyscrasiam peculiarem conciliare valent *), eatenus inter causas Choreae St. Viti merito locum obtinent. Prolixum nimis foret, si enodatam motuum ab animi pathematibus oriundorum historiam consignare vellem, tanquam satis notam, et innumerabilibus exemplis corroboratam. Sufficiat ergo adferuisse, iram imprimis non fatiatam et suppressam, et terrorem repentinum, haud exiguam hic adferre posse symbolam, aliae causae procatarticae si infimul adfuerint, quinimo unice ansam morbo huic subministrare posse, cujus rei testimonium p. 17. adductum.

*) Conf. Dn. Praef. Disput. de mutation. humor. ab Anim. pathemat. Roskochii 1759. habita.

§. XIX.

Qui consanguinitatis vinculo uniti sunt, jure quasi haereditario, propagationem mali hujus interdum experiuntur. Prouti enim notum, morbos imprimis contagiosos facilius tangere posse consan-



confanguineos, quam nulla adfinitate conjunctos, ita et cum hoc morbo comparatum esse videtur. Ex ore Dn. Praefidis audiui, in illustrissima quadam familia, Fratrem, et binas Sorores, non multo intercedente temporis spacio, Choreia St. Viti fuisse adfectos, id quod in aliis tribus pueris nobilibus Fratribus itidem observavit, qui successively hanc sustinuerunt aegritudinem. An phantasia et miseratio major confanguineorum, quam aliorum adstantium hic aliquale habeat imperium, pro evidenti non quidem ausim adfirmare, quamvis non adeo improbabile mihi videatur. De ministra Virginis nobilis supra recensitae mihi narratum, hanc morbo haerae suae adamatae adeo fuisse commotam, ut tandem pariles fere paroxysmos fuerit perpeffa, in veram postmodum epilepsiam, cum eventu funesto mutatos, quod parentes ejus incongrua et nimis heroica in usum vocaverint remedia.

§. XX.

Forrassis plures huc pertinentes causae in medium produci possent, v. gr. retropulsio exanthematum, corrupti humores, melancholia-hypochondriaca, hysterica affectio, et phantasia, ut ita dicam, exstatica et furibunda *) sed prolixitatis evitandae gratia, hae adductae sufficiant.



*) Huc referendi, qui, teste Ludov. MALEANO in *Annal. Flandr. Lib. XIV.* ingenti multitudine a. 1373. ex finibus Rheni et Mosae in Flandriam venerunt, gregatim choreas ducentes, et indefinenter cantantes, haud secus ac si furiis essent agitati.

§. XXI.

Causam proximam Choreae St. Viri expositurus, dissimulare nequeo, eandem cum epilepticis et convulsivis motibus et in eo convenire, quod sub sua evolutione, inextricabiles adhuc sese offerant difficultates, et ultra probabilitatem procedere haud liceat; proinde non injuste Crato à KRAFFTHEIM exclamaverit: *Utinam ante vitae meae terminum diagnosim hujus morbi (Epilepsiae) atque verum remedium quis ostendat! *)* Mirum ergo non est, quod Medici, etiam celeberrimi, in suppeditanda morbi hujus aetiology, hyperbolicis verbis fuerint usi. PAVLLINI e. g. **) credit: *Spumascente magis Lympha titillationem et subsultum concipere spiritus, hisque auscultantem phantasiam, et consimili titillatione in partibus nervosis, et membranosis orta, insana ratione agi corporis extrema.* WILLISIVS persuasum habet ***) *Spiritus animales copula explosiva immaniori praeditos, et ab ea confertim elisos, tantum roboris, ac vigoris supra propriam et solitam suam potestatem exerere, quantum flamma pulveris pyriti, supra flammae communis deflagrationem*



grationem, adeo, ut qui morbo huic obnoxii, extra paroxysmum unius viri ductu regi --- poterint, eodem urgente, quatuor ad minus robustorum hominum ultimos conatus, nixusque elidant. WEDELIVS ****) incusat exillationem spirituum, seu expansionem talem, quae quoad ultimam irradiationis suae sphaeram protrahatur, cum quadam velut interpolatione. Et quae sunt harum theoriarum plures. Quantum in re hac adeo obscura hariolari licet, causam motuum horundem extraordinariorum in peculiari quadam molestia, nervos adficiente repositam esse crediderim *****). Imprimis nervus intercostalis, huiusque cum pari quinto et sexto nervorum medullae oblongatae connexio, tanquam instrumentum eminens tumultuantium Choreae St. Viti insultuum considerandam videtur, quatenus non tantum ex modo dicto connubio, cum capite, ejusdemque partibus externis, verum et, mediante trunco suo inferiori ad pedum extremum usque decurrente, cum artubus inferioribus arctum exerceat commercium *****). Verosimile proinde videtur, ex ramificationibus undique se diffidentibus, et nexu huius nervi cum vicinis, consensum mutuum excitantis, oriri posse in musculis, actibus voluntariis alias destinatis, agitationes extraordinarias, licet causa occasionalis partes actuatas immediate non tetigerit. Ex hac ratione

Epilepti-



Epileptici plures, brevi ante paroxysmum, subtilissimam perferunt auram, oscillatorio propemodum motu à pedis pollice surgentem, et se per totum fere corpus diffundentem, cujus causa tantummodo in nervi ischiadici cum intercostali, et hujus cum reliquis nervis connexionem quaerenda est. Pariter dolor digitorum pedis acerbior pterygoideos externos musculos, spasmus cynicum producendo, convellere valet. Quod itidem sub conuassatione manus, et collisione omnium ejus ossium in viro quodam observavi. Intervallatos autem Paroxysmos ortum trahere crediderim, tam ex fibrarum relaxatione, presso pede hasce extraordinarias et vehementes vibrationes subsequente, et non, nisi interjecto certo temporis spacio, ad debitum tonum reducenda; quam a reactione causae remotae per vices nervos afficientis. Exemplum suppeditant vermes, quorum sola praesentia, nisi copia molestiam creaverit, non tam facile motus spastico-convulsivos parere suevit, sed quando nutrimento in primis viis destituti, vel anthelminticis irritati, parietes harundem suctione vellicaverint.

*) Teste Theod. Valent. KRAMERO in medicina docentis et ducentis p. 56.

**) in Tract. de Nuce Moscata Sect. II. P. I. C. XIV. §. I.

***) in Patholog. Cerebr. Tract. I. Cap. VII. p. m. 64.

****) in



****) in Disput. de *Chorea St. Viti* l. III, p. 9.
 *****) non omnem molestiam sensationem motus spastico - convulsi-
 vus excitare, experientia docet, alias dolores quicunque, per-
 saepe satis vehementes, tum externi, quam interni tales effectus post
 se traherent.

*****) Confer. Disput. *Carol. August. à BERGEN, de Nervo Intercos-
 zali. A. 1751. habit.*

§. XXII.

Hisce ordine praemissis, subjungenda veniunt, quae
 Prognosin concernunt. Licebit haec brevibus includere
 axiomatibus.

1. *Chorea St. Viti*, quanta vi corpus exerceat, tamen sibi
 relicta, nec incongrua diaeta, vel inconcinnorum remedio-
 rum usu turbata, vel magis irritata, tantum praejudi-
 cium vitae et sanitati raro adfert, quale à convulsioni-
 bus, et epilepticis motibus subinde metuendum.
2. Ut plurimum funditus extirpato malo, athleticam adi-
 piscuntur corporis constitutionem, nec crescentibus annis
 habent, quod à recidivis sibi metuant.
3. Pariter rationis usus non deprehenditur labefactatus,
 quin superato morbo, eodem ingenii acuminè polleant,
 quo ante adcessum ejus fuerunt instructi.

E

4. Juni-





4. Juniores, justam staturam nondum adepti, sensibile ab hinc corporis incrementum obtinere solent, imprimis, qui tensivos lumborum dolores, claudicationem adferentes fuerunt experti.
5. Malum recens, cuius causa facile detegenda, sui remotionem tempestivam admittens, brevioris solet esse ambitus. Radicatum è contra, et habituale, item ex haereditaria dispositione, vel ab animi adfectibus ortum, diutius, imo ad annum, et quod excurrit, perennare solet.
6. Item quando typum regularem observat, et determinando tempore recrudescit, remediis facilius auscultat, quam inordinatis paroxysmis aegrotum excrucians.
7. In adultis si obtigerit, numerum morborum sic dictorum in congruorum auget, et advertendum, ne in veram Epilepsiam degeneret.
8. ☐, durante morbo, clara vel inconstantis indolis reddita, in turbidam et turbatam, cum magno sedimento si commutatur, spem brevi subssecuturae valetudinis non raro confirmat.
9. Si cessaverit aegritudo, facile tamen repullulare potest, sicubi cautio debita circa usum rerum non naturalium per aliquod tempus haud observetur, nec in specie evitentur, quae ansam hisce insultibus subministrarunt.



§. XXIII.

Ad curationem hujus mali nunc progredior, quam secundum causas instituere prudentis est et rationalis medici; his etenim detectis, et sublatis, vel sua sponte remittunt symptomata, vel si habitum jam contraxerint, specificis adhibitis facilius obsecundant.

Si quando ex collectione signorum elucescit, colluviem verminosam fomitem esse motuum horundem spastico-convulsivorum, opera danda, ut primae viae ab hac, quo fieri poterit modo, liberentur. Diffusum nimis foret negotium, succinctam methodum anthelminticam hic adumbrare velle, quando in scriptis Medicorum practicis monita huc pertinentia abunde deprehenduntur. Juvabit tamen selecta quaedam remedia hic recensere, quae sub Choreae St. Viti à vermibus proficiscente, ceteris palmam praeripuisse visa sunt. Haec inter eminent $\&$ Amygdalarum dulcium vel olivarum, larga manu propinatum, quatenus et enecandis his animalculis, eademque à suctione dolorifica arcendis apta est, et insimul ab his laesas in testinorum tunicas demulcendo, spasmos surgentes mitigat; pariter $\&$ vivus ab admixtis peregrinis probe repurgatus, et cum saccharo sub forma $\&$ ris, in convenienti



vehiculo exhibitus, nullas intestinis creat molestias, et hospitibus horum invocatis deleterium offert ferculum; qualem effectum iridem exferit aethiops mineralis et gatus, qui ex admixto ꝑre antispasticis annumerandus remediis. Haud minoris sunt efficaciae, quae odore gravi, et velut specifico vermes enecare, vel ad crassa intestina fugare potis sunt. Quorsum pertinent Gummi Galbanum, Sagapanum, Opopanax, et imprimis Asa foetida, cujus usus sub his circumstantiis, multiplici experientia satis egregius fuit deprehensus. His praemisissis, et si necesse fuerit, per aliquod temporis spatium continuatis, laxantia, cum ꝑ dulci combinata propinari poterunt, item Enemata ex lacte cum melle, ꝑ expresso, et ꝑ parata, quorum effectus nonnunquam praesentaneus esse solet.

§. XXIV.

Catamenia emanentia, vel suppressa Choream St. Viti concitantia sui exposcunt deoppilationem, cuius perito Medico notam, licet non negandum, et exquisitissimam huiusmodi methodum, celerem sublevationem haud ad eo semper adferre solere, quin tandem patientia, sub debito regimine, et tempestive in usum vocatis remediis, vincantur. Nolo iridem in recensendis hisce esse prolixus, brevibus saltem indicaturus, à sanguinis ex pede ventilationibus, martialibus, cum radice Aronis, et pauxillo Cinnamomi junctis, interpolatis
amaris



amaris et eccoproticis, haud parum auxilii expectandum esse. Imprimis commendandum & Cajeputi, tanquam praestantissimum emenagogum, et insimul antispasmodicum, quod, sive solum, sive Vi rectificatissimo solutum, sive cum Essentia Mithridatice, Pimpinellae, Tinct. P: et Liquid. anod. min. Hoffm. debita proportione commixtum, et versus illud tempus propinatum, quo motus naturae menses respicientes observantur vividiores, ceteris specificis facile palmam praeripit.

§. XXV.

Quaenam sub dentitione difficili conveniant administrari, brevitate gratia itidem praeterco, B. L. ad scripta Medicorum, experientia, ex judicio practico celeberrimum ablegans. Ab animi adfectibus si fuerit orta chorea, inculcandum circa hos moderamen, et praemissis sic dictis universalibus, ad specifica confugiendum, quae omnem fere paginam itidem explent, quando, remotis causis quibuscunque, tumultuantes hujus morbi insultus conquiescere reculant.

§. XXVI.

Monumenta Medicorum hunc in finem si consulamus, ingentemprehendimus horum cumulum, quorum tamen maxima pars corvos hiantes illudit. Operae proinde pretium futurum arbitror, quando selecta, et usu probata in medium adduxerim remedia. Haec inter eminent Viscus *) sub forma Pulveris, Apozematis saturati, imo dilutionis pro potu ordinario, non adeo parca manu exhibitus, et non interrupta serie continuatus, nisi aeger ab usu ejus fastidio abalienetur. Non contemnendae itidem est efficaciae Radix Valerianae, sub forma



ma pulveris, sive sola, sive cum $\text{\textcircled{O}}$ portione quadam remixta, pro rei exigentia, bis vel ter de die suppeditata, utpote quae generi nervoso confortando satis idonea deprehenditur, et ceteros effectus inter, catalogum medicamentorum ophthalmicorum non inepte auget. Ex penu remedicorum chemicorum Liquor C. C. Succinatus, et imprimis $\text{\textcircled{O}}$ Animale Dippelii ab omni empyreumate, iteratis reëctificationibus, probe repurgatum, subinde desideratissimam opem adferre solet, praesertim in morbo nondum habituali, et typum servante, quando ante adcessum paroxysmorum, sive solum, sive cum Tinctura quadam alcalina et Ligu. C. C. succin. in usum trahitur. Certo respectu jam laudatum $\text{\textcircled{O}}$ Cajeput virtutem in sedandis his motibus, praesertim cum utero connexis, specificam itidem exerere solet. Plura ad antispasmodica, paregorica, antorgastica referenda, his pro re nata interponenda, tanquam satis nota, addere supervacaneum duco.

*) Circa usum Visci monent medici, eundem à quercubus esse desumendum, unde et in Pharmacopoliis nostris cum epitheto: Visci querni venire solet. Verum, si dicendum quod res est, rarissime hunc quernum in scriniis pharmaceuticis deprehendi, certo sum convictus. A Venatoribus enim, et qui sylvarum curam gerunt, audivi, ex plusquam millenis quercubus, vix ac ne vix quidam unam deprehendi posse, viscum gerens, sed hunc ut plurimum ab aliis arboribus deprohi, et querni nomini Pharmacopolis venditari. Sunt, qui ex Polonia genuinum ad nos deferri autumant, quasi quercus in ista regione uberiolem hujus fruticis proventum suppeditarent, nec Poloni juxta atque Germani essent fraudatores; sufficiat proinde elegisse, quae vetustate nondum exaruit.

§. XXVII.

An Moschus in hoc morbo efficaciam specificam exserat, experien-



experientiae erit committendum. Si quando consideramus, eundem à fide dignis Medicis in convulsivo spasticis motibus, Epilepsia, Hydrophobia, Mania, aliisque morbis generis nervosi, ingenti cum fructu fuisse usurparum *) nullus dubio, quin et in Choreia St. Viti, praesertim habituali, item à vermibus proficiscente, desiderio Medici sit satisfactorus.

*) Confer. *Comment. de reb. in scientia natural. et medicina gest.* Vol. V. P. II. p. 294. it. Vol. VII. P. I. p. 82. *Dispensar. Edimburgens.* p. 74. *D. Phil. Frid. Gmelin Disput. de specifico antidoto novo adversus affectus morsus canis rabidi, Tubing. 1750. habit.*

§. XXVIII.

Non autem solis specificis remediis effrenes tales motus compesci et profligari possunt, sed pro modulo indicationum, v. gr. si plethorica adfuerit constitutio, et nimius sanguinis orgasmus, huic portio per phlebotomias detrahenda. Congestiones versus partes corporis superiores, vesicatoriis furis applicatis revellendae, segnitie alvi enematibus, et eccoproticis selectis auferenda; dyscrasia humorum, diluentibus aperitivis Theiformibus, et diaphoretico diureticis corrigenda, et sic porro. Sub rebeli tamen malo, vires horum adminiculorum illudente, praestat ad tempus ab illis abstinuisse, et totum curationis negotium in diaeta convenienti collocasse, quam morbo medicinam indefinenter opponendo, aegrum ad nauseam usque macerasse. Vel etenim durante hoc temporis intervallo, se manifestabit causa hujus adfectus, quae cognitioni Medici hucusque se subduxit: vel natura sibi relicta, viribus renovatis, pederentim conquiescit, vel si reactiones suas contuaverit, denuo in usum vocatis remediis facilius obscurabit.

§. XXIX.



Præter Diaetam, sub Choreâ Sr. Viti observandam, ad-

huc cautelae curationem ejusdem respicientes forent adducen-
dae, sed angustia plagulae recensionem harundem absolutam
prohibet. Miffa proinde Diaeta, omnibus expertis Medicis
nota, brevibus monendum:

- 1) Opiata cane atque angue pejus fugienda, quandoquidem
vel Parefin facile inducere, vel non sublata causa morbi,
hunc magis refractarium reddere possunt.
- 2) Anthelmintica solo sapore amaro vermibus inimica, hos
irritare solent, ut ad saporem illum averruncandum for-
tius intestinis adhaereant, donec amarum remedium hos
praeterfluxerit, facile abhinc aucta sensatione intestino-
rum molesta, tumultus conciliari possunt vehemen-
tiores.
- 3) Idem ferè statuendum de purgantibus validioribus, prae-
sertim resinosis.
- 4) Usus Fontium Medicatorum salutarem in Choreâ Sr.
Viti experientia non confirmavit, quod et de Balneis et
Semicupis statuendum.

T A N T V M.



VIRO

V I R O
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO
D O M I N O
DOCTORANDO STIELERO,
FAVORI AC AMICO SVO
SVMMPERE COLENDO,

S. D. P.

IOANNES CHRISTIANVS QVISTORP,
IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR.



*Brevissimo quidem temporis spatio, TE,
VIR ERVDITISSIME, in his ter-
ris usus sum familiariter: attamen ani-
morum consensus tantopere nostram roboravit amici-
tiam, ut nullum illam destruere valeat acum.*

F

Quid

Quid igitur me impediatur, quo minus TIBI, AMICE
DILECTISSIME, amicitiae haud infucatae
publicum exhibeam documentum? hoc vero dum nulla
meliori ratione potest significari, quam si vota mentis
sinceræ ardentissima cum illis jungam, quæ ab aliis
& animi TVI integritatem, et ingenii perspicuitatem, et
litterarum TVARVM amplitudinem, et sanorum concin-
nitatem, et familiae TVAE splendorem venerantibus
effunduntur; id paratissimus exhibeo. Sane enim pagi-
nae non sufficerent, ad delinenda etiam quodammodo
merita TVA, si modo eximiam TVAM eruditionem
multo sudore acquisitam, & conversatione doctissimorum
virorum Angliae ac Galliae magis magisque exultam,
laudibus efferre operam nauarem. Hinc TIBI, VIR
EXPERIENTISSIME! potius gratulor de TVA
eruditione & de consecrariis perfectionum TVARVM,
nempe de summis in medicina honoribus mox mox dignis-
sime TIBI conferendis; gratulor inuictae Reipublicae
Hamburgensi de ciue ornatissimo, membro dignissimo
utilissimoque splendidissimæ familiae de egregio orna-
mento, gratulor denique aegrotis de uberrimis fructibus
vino

studio-

studiorum TVORVM in sanitatem eorum redundandis,
& permittas, AMICE SVAVISSIME, mihi etiam
de sincero amico gratulari. Quod reliquum est, Beni-
gnissimum Numen supplex oro, velit pro sua inffnita ac
immersa clementia TE ad seros vsque annos sospitem ser-
vare atque incolamen, TE que aduersa valetudine ha-
ctenus pressum restitutas ac fortiores vires largiri, cun-
ctaque quae meritis TVIS respondent, donare omnibus-
que TVIS conatibus quam clementissime annuere. Tan-
dem beneuolis TVIS amicis, mihi quoque absens annu-
meres velim & summis precibus abs TE contendo, AMI-
CE OCVLTISSIME, ne vnquam amorem mei, quem
huc vsque mihi probatum dedisti, animo TVO excidere
patiaris. Dab. in Academia Varniaca pridie Nonarum
Septembris A. R. S. c. 1722 CCLX.





Auf! prange, Theurer Freund, vergnügt, bey
frohem Muth,

Da, wo die Weisheit thront, da, wo des
Fleisses Lohn.

Ja prange würdiglich mit Deinem Doctorhute,
Du hast es längst verdient, Hygeens ächter Sohn!
D! lebe lange Jahr, den Medlichen zur Freude,
Du müßest glücklich seyn, den Feinden zum Verdruff,
Auf! zeige Du der Welt, daß auch bey vielem Neide,
Die wahre Tugend siegt, der Fleiß gedeien muß.
Auf! kehre längst gewünscht und Segensvoll zurücke
Verweile nicht, nein, eil zu jener frohen Stadt,
Wo in dein ew'gen Rath die Vorsicht Deinem Glücke
Den Felsenfesten Grund vergnügt geleyet hat.

Samburg, den 1sten September,
1760.

Carl August Deutsch,

M. D.

VIRO

V I R O
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO,
DOCTORANDO STIELERO,

AMICO SVO SEMPER COLENDO,

S. D. P.

J. N. TETENS.

P. H. M.

Ne praeter tres primas linearum praesentium legas
rogo, AMICE SVAVISSIME, si laudium
TVARVM longam expectas enumerationem. Amplus
equidem hic adesset campus, quo possem, si vellem, excu-
rere. Ingenium sane TVVM singulare, itineribus doctis
per magnam Europae partem institutis, et conversatione
cum Viris Doctissimis celeberrimisque ex altatum; cogni-
tionem Tuam Medicinae multarumque aliarum scientia-
rum vastam et solidissimam; animi praeterea supra vulgus

elati integritatem, aliasque egregias dotes, admirabuntur omnes, quibus TVA frui familiaritate, datum erit. Sed alius in praesenti mihi scopus est. Amicorum enim laudes sublestae semper habentur fidei. Tesseram amicitiae, qua a TE me honoratum video, TIBI in patriam discedenti dare constitui. Fateor equidem, illam, quae inter nos intercedit amicitiam INTIMAM dici haud debere, si gradus et pretium familiaritatis ex diuturnitate temporis, quo viguit, essent dijudicanda. Nostra enim, proh dolor! ante paucas tantum incepit hebdomades. Sed quaeso; quis affectum amicorum mutuum tempori, quo sibi innotuerunt, semper credet respondentem? Idem hoc esset, ac actionum humanarum mensuram dicere numerum annorum, quibus spiritum duxerunt; aut scientiarum cognitionem credere proportionalem annis, qui effluerunt post inscriptionem inter cives academicos, Judicium utrumque aequè ridiculum. Omnes, qui sciunt, quid sit amicitia, vitae humanae oblectamentum; et si tantum ex Ciceronis Catone id didicissent, consitebuntur, eam fieri posse summam fere in ipso, quo contrahitur, momento. Datur enim inter quosdam talis animorum consensus,

ut

ut prima statim in conversatione, unus alteri non nunc
primum innotescere, sed jam longe antea innotuisse videa-
tur. Sed quorsum haec? Nam mihi ostendendum est, ami-
citiā Nostram POSSE esse intimam? revera eam talem
esse TV et ego scimus; et num alii id credant, quid refert?
Plura jam dici, VIR PRAENOBILISSIME, quam
erat propositum; ideoque, quae restant, tribus expediam
verbis. Gratulandum enim mihi adhuc est. Gratulor
igitur Patriae TVAE de TE, et TIBI de eo, quod sum-
mis in Medicina honoribus inventus fueris dignus; Do-
ctoris titulus in se remotis meritis, non tanti sit momenti,
ut et de eo obtinendo TIBI gratulari debeam, in prae-
senti disquirere haud volupe est. Credam, quia recepta
est opinio, et gaudebo, TE posthaec vocari Dominum
Doctorem. Tandem, ut omnia TIBI sint fausta atque
felicia, summa est meorum votorum; bonaque omnia,
quae amicus amico ut eveniant, optare potest, TIBI ad-
precor. Vale et amici memoriam cole.

Dabam Rostockii, d. III, Sept.
cIcIoCCLX

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO
G. H. STIELERO,
SYMMOS IN MEDICINA HONORES
GRATVLATVR
N. F. FROM,
MAR. BOR.

Tu, qui remotos sat populos diu et

Mores videbas, multa tulit manus

Experta, nec quievit ausu,

In patriae et propriam salutem,

Quantum dierum iam viridem tener,

Donanda laurus quae meritis tuis,

Caput scientia venustum

Impatiens decorare Phoebus,

Amplios honores suscipe, suscipe;

Dignus recenti in munere patriam

Juves et aegros, ac amicum,

Tunc neque sperne meos amores.



00 A 6300

ULB Halle 3
003 637 115



Sb.

09.03.91.





Q. D. B. V.
 DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
 DE
CHOREA S. VITI.

Q V A M,
 CONSENSV GRATIOSAE FACULTATIS
 MEDICAE,
 IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,
 SVB PRAESIDIO
**DN. GEORG. CHRISTOPH.
 DETHARDINGII,**

SERENISS. DVC. MEGAPOL. CONSILIAR. AVLIC.
 COLLEG. PROFESS. DVCAL. ET FACULT.
 MED. SENIORIS,

**PRO GRADV DOCTORIS,
 RITE OBTINENDO,**

DIE IX. SEPTEMBRIS A. MDCCLX.
 PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
 SVBMITTIT.

AVTOR ET RESPONDENS,
**GERHARDVS HENNINGIVS
 STIELER,**
 HAMBVRGENSIS.

ROSTOCHII,
 LITTERIS ADLERIANIS.

